Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26449
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cat. qui de cenobiis exeuntes. excepto pane et sa-
le amplius ad deserta nichil perferunt. Huius vite
auctor paulus, illustrator anthonius. et ut ad supe-
riora conscendam. princeps iohannes baptista fuit. Talem virum
iheremias quoque propheta describit dicens: Bonum est viro
cum portaverit iugum ab adolescentia sua. sedebit
solitarius et tacebit. quia sustulit super se iugum. et dabit
percutienti se maxillam. saturabitur obprobriis: quia non in
sempiternum abiciet dominus. Horum laborem et conflictationem
in carne non carnis. alio tempore si volueris explicabo.
Nunc ad propositum redeam. qui de avaricia disserens
ad monachos veneram. quorum tu exempla proponens. non
ditam auri atque argentum et ceteras. sed ipsam terram opes
et celum despicies et christo coputata cantabis. Pars mea
dominus. Post hec quamquam apostolus semper orare nos iubet.
et sanctis etiam ipse somnus oratio sit. tamen divisas orandi
horas debemus habere. ut si forte aliquo fuerimus opere dete-
nti ipsum nos ad officium tempus ammoneat. Horam tertiam.
sextam. nonam. diluculumque et vesperam nemo qui nesciat. nec
cibi ante sumantur. nisi oratione ante premissa. nec recedatur
a mensa nisi referantur gratie creatori. Noctibus bis terque
surgendum. revolvenda de scripturis que memoriter re-
tinemus. egredientes hospicium armet oratio. Regredi-
entibus de platea oratio occurrat ante quam sessio. Nec
prius corpusculum requiescat. quam anima pascatur. ad orationibus
omnem actum ad omnem incessum manus pingat crucem.
Nulli detrahas. nec adversus filium matris tue ponas
scandalum. Tu quis es ut alienum servum iudices. suo domino
stat aut cadit. stabit autem. potens est enim dominus sta-